

*Tabula indicans pondus liquidorum,*

quæ guttatim præscribi solent.

Viginti guttæ.	Pondus habent gr. Med. Nor.
Ætheris Sulphurici . . . . .	6.
Spiritus Sulphurico-ætherei . . . . .	7.
Spiritus Vini rectificati . . . . .	8.
Olei Olivarum . . . . .	9.
Acidi Acetici . . . . .	10.
Aquæ destillatæ . . . . .	11.
Tincturæ Opii (granum Opii continentés) . . .	12.
Potassæ liquidæ . . . . .	14.
Acidi Sulphurici concentrati . . . . .	19.
Aquæ communis cochlear theanum . . . . .	80.
Cochlear mensale = 4 cochl. thean.	
= drachmis quinque.	
Poculum mensale = 8 cochlear. mensal.	
= unciis quinque.	

*De Dosibus Medicamentorum.*

Medicaminum doses expositæ sunt, quales ab auctoribus in genere determinantur; nihilominus tamen animadversione dignum est, easdem pro re nata augeri, aut diminui posse. Res circumstantes, quæ in remediorum efficaciam influunt, sunt sequentes: sexus, temperamentum, consuetudo, morbi indoles, idiosyncrasia et ætas. Sexus sequior in genere minorem cujuslibet medicamenti quantitatem exposcit, quam masculinus. Homines temperamento sic dicto sanguineo præditi, minorem dosin ferunt ac illi, qui melancholico obnoxii sunt. Consuetudo plurium medicaminum in organismum animalem efficaciam minuere solet, imprimis narcoticorum et stimulantium, quæ et largiori interdum dosi impune

capi possunt, eorum nempe usu per longius temporis spatium protracto. Nec minus morbi indoles remedii dosim immutare sæpenumero cogit. Idiosyncrasia tandem plurimum in moderandam medicaminum efficaciam influit; nam quædam individua magna pollent receptivitate ad ea remedia, quæ in genere omnino parvum exserunt effectum; quum in aliis maxime activa remedia vix aliquam efficacitatem exercent. Ætas in determinanda medicaminum dosi certiore omnino offert regulam, et sequens tabula, e clarissimi Gaubii operibus deprompta, junioribus Medicis inservire poterit.

<i>Ætas.</i>	<i>Quantitas proportio- nata.</i>	<i>Dosis relata ad ætatem.</i>
Pro adulto.	Supposito, dosim in genere esse = 1.	Drachma.
Infra annum	Requiritur solummodo $\frac{1}{12}$	gr. quinque.
Bimulo . .	» » » » $\frac{1}{8}$	» septem et semis.
Trimo . .	» » » » $\frac{1}{6}$	» decem.
Quadrimo	» » » » $\frac{1}{4}$	» quindecim.
Septenni .	» » » » $\frac{1}{3}$	Scrupulus.
14 annorum	» » » » $\frac{1}{2}$	Semidrachma.
17 » »	» » » » 2	Duo scrupuli.
21 » »	Dosis communis integra	Drachma.
65 » »	» » » » $\frac{2}{3}$	Duo scrupuli.